

## Luciliana

scripsit

O. Ribbeck.

Nescio alii quid sentiant: mihi quidem lux vere sospitalis Lucilianis reliquiis nondum videtur exorta esse, nisi forte satis est litteras syllabasque traditas in verba qualiacumque, similia modo, conflare, quorum saepe nec structura nec mens sana enucleari possit. Tamen haud pauca cum recte et ingeniose principes in hoc artis genere Ianus Dousa, Scaliger, Mercerus, Lachmannus iam emendaverint, desperandum non est fore aliquando, ut quae alii bene invenerunt diligenter collectis novoque incremento paullatim auctis fragmina illa festivissimorum carminum purgata quantum fieri potest et perpolita litteris optimis redonentur. Quibus num quid ipse bonae frugis inpertire possim experturus vitata omni pugna, ne bilosi cuiuspam hominis rabiem excitem, nec ullo fere nomine prolato nisi 'quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina', brevissime, ut par est, conjecturas meas proponam nec mea importunitate eorum, qui soli regnare in his studiis sibi videntur, somnia et larvas turbabo; nam exigua haec *αντοσχεδιάσματα*

Persium non curo legere, Laelium Decumum volo.

Incipio autem ab ultimis libris, quos primos a poeta compositos esse constat.

Amplam et diligentem in libro XXVI de vitae ratione instituenda disputationem cum amico quodam adulescenti instituit Lucilius. Hunc igitur potissimum intellegere licet in versiculo (Non. 437, 13)

tuám probatam mi ét spectatam máxume adulescentiam.

Qui autem praefatus consiliis sic est:

pórro amicist béne praecipere, Túsci bene praedicere quibus cavere adulescentem iubet, ne vel optimorum consiliorum eventum prosperum confidentius speret, idem illi praecepta sua commendasse statuendus est his (Non. 497, 30):

haéc tu si volés per auris péctus inrigárier.

Iam sequebantur ipsa praecepta:

quid cavendum tibi censerem, quid vitandum máxume  
(*censere* libri Non. p. 437, 22; *censeres* Mercerus). Quae ipse  
vita expertus est veraque esse erroribus et doloribus variis doctus  
cognovit nunc paratum se esse ait ut aliis facili opera ac liben-  
ter tradat:

trádo ergo *aliis* númerro porro quód mihi constat cáríus.  
(alias libri Non. p. 272, 24; *aliis* Fr. Dousa). Varia autem  
temptant homines, ut vel aegritudinem fugiant  
ídcirco omnes évasuros cénsent aegritúdinem  
(Non. 294, 7) vel felicitatem procurent certis bonis sectandis,  
quasi haec sapiens magni faciat:

sín autem hoc vidént, bona semper pétere sapientém putant.  
(Non. 367, 10). Privato quidem homini fons molestiarum aerum-  
narumque est matrimonium et familia:

hómines ipsi hanc sibi molestiam últero atque aerumnam ófferunt:  
dúcunt uxorés, producunt quibus haec *tradant* líberos.  
(extant priora 'homines . . . uxores' apud Nonium p. 360, 21; in  
altero versiculo, qui p. 373, 1 legitur, *tradant* scripsi ubi *faciant*  
libri exhibent: tradunt autem homines liberis omnia quae sibi ipsi  
pepererunt mala). Neque puellae avaritiae nimium se indulgere  
adfirmat:

férri tantum sí roget me nón dem, quantum aurí petit:  
sí secubitet, síc quoque a me quaé roget non ímpetret.  
(Non. 382, 31. 366, 22)  
Eo plus amicitiae tribendum, quam sancte et studiose coli  
iubet:  
múnifici comésque amicis nóstris videamúr viri.  
(Non. 23, 15)

cúret aegrotúm, sumtum homini praébeat, geniúm suum  
défrudet, *aliéno* parcat  
(Non. 117, 31: *ali parcat* libri, quod correxi). Sed prudenter  
magna ex sodalium multitudine verus amicus eligendus est:  
quando quidem *reppérerim* magnis cónibonum ex cópiis,  
qui sex menses vitam ducunt, 'Orco spondent séptimum.  
Coniunxi duos versus, quorum prior est apud Nonium p. 38, 11  
(*repperi* libri, nec *reppereris* inprobaverim), alter asoti Caeciliani  
(v. 70) sermonem reddens p. 526, 13 (cf. 283, 24).

Eligendus talis amicus, quem virtutis exemplar sequi possis,  
non qui tuos etiam mores corrumpat:

át libertinús Tricorius, Sýrus ipse ac mastigias,  
quicum versipéllis fio et quicum commuto ómnia  
(Non. 38, 6).

At sunt quibus non sufficient privatae vitae studia et gau-dia: honores captant, rei publicae operam navare student. Quorum e numero esse videtur ipse adulescens noster: concedit recte facere Luciliūm proiectiōrem aetate, quod otium et tranquillitatēm quaerat:

quódque te in tranquillum ex saevis tránsfers tempestáibus (Non. 38S, 15). Nec vituperat studium illud poeta, quod praeestet aliis artibus minus vel honestis vel utilibus:

quáre hoc colerest sátiust quam illa stúdium omne hic consúmere (Non. 250, 14: *illa*, fortasse philosophia vel historia, cf. p. 330, 14: 'veterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos'. *hic*, in urbe scil.). Ita exhortatur adulescentem, ut diversam huius a sua natura esse moneat:

súmmis nitere ópibus. at ego cóntra ut dissimilis siem (Non. 353, 10: non finita est oratio).

Eodem haec spectant quae coniunxi:

sí tibi porro istaec res cordi idcirco st̄, quod rere útilem, (Non. 88, 31) húnc laborem súmas, laudem qui tibi ac fructum ferat. (Non. 396, 8)  
sét quod tibi magno ópere cordist, mihi vementer displicet,  
(Non. 88, 31)

út ego *effugiam* quód te in primis cùpere apisci intéllego.  
(Non. 74, 29)

Nam fugit ratio Lipsium, qui *efficiam* scribi voluit. Ceterum secundus versiculus incertum quo ex libro petitus sit, quamquam probabili conjectura nostro tribuitur.

Idem, qui illa protulit, adfirmare videtur non se posse mutare naturam suam:

égo sic qui sum et quó folliculo nún̄ sum indutus nón queo... (Non. 110, 26: *si qui libri*). Quid non queat efficere, sequenti versu addidisse putandus est. Certe pellicula sua contentus fuit sibique persuaserat, suis quemque morderi et vexari errorum libidinumque stimulis:

míhi quidem non pérsuadet, *púlices* mutém meos (Non. 351, 2, ubi quod Bernensis B et Genevensis tradunt *pulices* perperam in *púlices* et alia mutatum est). Nec divitias tanti facit, ut otium et securitatem earum causa perdere velit:

públicanus véro ut Asiae fíam scripturárius

pró Lucilio, id ego nolo et úno hoc non muto ómnia.  
(Non. 351, 6. 37, 33).

Transeamus ad alia. Non. 351, 4 'mutare, transferre. Lucilius lib. XXVI: *doctior quam ceteri sis asa* (*asa om. B*) *mittis mutes aliquo tecum sacra* (*al. satra*) *facta uitia* (*satrafa acutia* B Gen.). Vereor ne corrupto textu inductus Nonius 'transferre' interpretationem praemiserit. nam poetam conicio haec reliquise:

dóctior quam céteri

*sis, ac (vel aut vel sei) mutes mórem antiquom, ságra facias vilia.*  
Illud *antiquō* librarius legerat *aliquo*, cui corrector *anticum* superscripserat.

Simile quid accidisse glossatori suspicor p. 297, 12 'efferre, subdere. Lucilius lib. XXVI: dépugnabunt pró te ipsi et moríentur ac se ultro ófferent', ubi expectes *offerent*, ut alibi 'hómines ipsi hanc síbi molestiam úlro atque aerumnam ófferunt'. Pertinent illa ad altercationes et iurgia inter duces Graecorum Troiam oppugnantium, quae imitatur poeta.

Non. 138, 25 'monstrificabile. Lucilius lib. XXVI: nunc ignobilis his mirum ac mortificabile'. Verius puto quod in textu quam quod in lemmate positum est. Nobilium fastum cavillari videtur Lucilius, qui ignobilem hominem quasi portentum fugiant ac detestentur:

núnc ignobilitatis mirum móndstrum (s. vitium) ac mortificáble

Non. 354, 3 'capere, accipere'... Lucilius lib. XXVI: *malis necesse lautum e mensa purae capturus cibum*'. idem 337, 10 'lautum, mundum. Lucilius lib. XXVI: *malis necesse est lautum e mensa pure capturus cibum*'. Inliberalem eorum aviditatem, qui in mensam dimidiatos se procellant et maxillis pro manibus utantur, carpere sic videtur poeta:

*málisne opus est laútum e mensa púre captureís cibum?*  
*capturis iam Gerlachius scripsit.* Eaedem fere sordes eademque libido lucrum undecumque arripiendi castigatur versiculo item per interrogationem efferendo:

*mórdicus petere árum ec flamma expédiat, ec caenó cibum?*  
(Non. 138, 21: *eccenobū* Bamb. *ecoeno cibum* ceteri).

Complura libri XXVI frusta cum ad ea pertineant, quae extra Troianos muros vel peccata vel iurgii agitata sunt, etiam irae deorum fatalis, quae flagitia in expugnata urbe a Graecis commissa secuta est, mentio fit. nam recte etiam nunc mihi videor restituisse locum, de quo in mus. Rhen. XXVII p. 180 breviter monui:

néc Agamemino prósperatur, 'Aiax quod Cassánderam  
sígnō deripuit.

Naufragium autem classis Achivae tangitur his:  
párs difflatur vénto, pars autem óbrigescit frígore.  
(Non. 97, 10).

Tragicorum poetarum vellicans in eodem libro tumorem et  
ampullas miseriae quoque colores ad fastidium usque pingues ac  
ne consilio quidem poetae satis opportunos reprehendit. Talem e.  
c. vel Electram vel Antiopam vel Periboeam depingi ait apud  
Non. p. 126, 4 (cf. 401, 27) :

squálitate súmma ac scabie súmma in aerumna óbrutam,  
*aéque* inimicis ínvidiosam néque amico exoptábilem  
ubi sententiae integritas flagitabat, ut *aequē* in traditi *neque* locum  
substitueretur. Mulierculae horridae adponitur Aeeta aliquis (inc.  
trag. 189 sqq.) vel Thyesta vel Telephus:

hic cruciatúr fame  
frígore inluvie ínperfundie ínbalnitie incúria  
(Non. 125, 30). Atque id quoque merito vituperare poterit sati-  
ricus, quod infelices illi, dum se ipsi nimis miserantur, misericor-  
diam aliorum debilitant:

sí miserantur se ípsi, vide ne *caúsam inimicorím loco*  
*súperiore cónlocarint.*

Sic enim et dimetienda et corrigenda censeo quae apud Nonium  
p. 499, 16 traduntur: 'si m. se i. u. ne *illorum causa superiore*  
*loco cónlocauit*' (*non locauit* Bamb.). Similia scio Studemundum  
coniecssisse.

Non. 296, 6 'conficere, colligere . . . Lucilius lib. XXVI:  
*non te multitudinem tuorum* quam in album *indidit a dextera conficis ibi?* Avaritiam praetorum notari suspicor, qui ingentes pecu-  
nias a provincialibus exigant, securi ipsi quo labore quibusve arti-  
bus tantae summae parentur :

*monétae multitudinem,*  
*praétor,* quam in album *índidistei*, déxtra *conficiés tibi?*  
Aliis debo *indidistei* et *tibi*. Possunt autem ad eandem per-  
tinere eclogam, in qua ignavia et inscitia imperatorum graviter  
castigabatur :

cóntra flagitiúm nescire bélum, vinci a bárbaro  
Víriato, Anníbale.

(Non. 186, 29)

In libro XXVII veros amicos parasitis adulatoribus praeferen-

dos esse inlustratur coqui exemplo, qui non speciosas quaerat, sed pinguis et bene pastas aves:

cócu' non curat *caúda* insignem esse *úllam*, dum pinguís siet:  
sic amici *quaérunt animum*, rém parasiti ac dítias.

In quibus coniectura scripsi *cauda*, cum Nonii p. 331, 10 Wolfenb.  
*caudam*, Leidensis 1 *claudam*, alii *claudus* praebeant; *ullam* pro tra-  
dito *illam*; praeterea verborum *animum* *quaerunt* ordinem inverti.

Lacunosa sunt quae p. 463, 7 leguntur sic fere ut puto  
resarcienda et numeris concludenda:

*íd bonis propriúmst viris,*  
si frati seu cuí propitii sánt, *animi* diútius  
[pérlinacia úi] eadem una máneant in senténtia.

Initium sententiae in libris sic scriptum *in uonis porro est*  
Gifanius correxit; vocis *animi* quam restitui prior pars *ani* hausta  
fuit praecedentibus litteris *unt*, alteram *mi* corruptam in *ui* Lei-  
denses praebent. Tertii versus supplementa mea sunt. Vocabulae  
*diutius* mensuram in septenariis et senariis praesertim consentaneum  
est Lucilium ad scaenicorum poetarum consuetudinem ad-  
commodavisse.

Non. 196, 18 'chartam . . . masculini Lucilius lib. XXVII: nec  
sic ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti, quidquid quaeritis *peri-  
mus*.' Quaerenti philosophorum libros sic fere respondit quispiam:

nescio,  
sícubì Graeci, ubi nún̄ Socratici chár̄ti: quidquid quaér̄itis,  
pérdimus (sive mavis pérddidi omne).

Non. 269, 32 'concedere, credere vel consentire. . . . Lucilius lib. XXVII: *in concedere únum atque in eo dáre, quo superatúr, manus.*' Haec integerrima, nisi quod *id concedere* scriben-  
dum esse manifestum est, quis credit fuisse qui aspernaretur suis-  
que commentis obfuscare auderet!

Non. 420, 3 'verrere, ferire, pervertere . . . Lucilius lib.  
XXVII: *quam non solum déuorare se ómnia ac deuérre.*' Scri-  
bendum aut *quin* aut *quom*.

In Probi ad Verg. ecl. VI 31 commentario p. 18 ed. K. de  
elementis sermo sic inter duos distribuendus est:

non áderit. — *ἀρχαῖς* hóminem et stoichiis simul  
privábit, igni cùm et aqua interdíxerit. —  
duo habét stochia: *at fruítur anima et córpore.*  
*γῆ* córpus, anima est *πνεῦμα*.

Scripsi *at fruitur*, cum in libris *ad fuerit extet*,

Facillimum est explere senarium, qui ex eodem libro XXVIII p. 150, 18 profertur, scilicet:

amicula aspera atque praecox est [tua].

nam quod in libris extat est fuga quamquam verum est ex Varoniano exemplo (p. 157, 2) irrepisse, irrepit illud quidem propter ipsam litterarum similitudinem.

Non. 36, 31 'pensum . . . Lucilius lib. XXVIII: nihil parui ac pensi uti littera doceas lutum.'

Litteras qui doceat grammatista laudatur, ut qui proposit inmensum:

nil parvi aut pensi, ubi litteras doceas, lucrum

scil., ne quid erres: lucrum, quod inde fit, nil parvi aut pensi est.

At nimis plagosus Orbilius ille, si re vera discipulo suo 'saepe mille' inposuit 'plagarum in diem', ut legitur p. 496, 20: satis erat in die, ut 'in hora saepe ducentos versus dictabat' Lucilius.

Non. 206, 25 'fulmentum . . . feminino Lucilius lib. XXVIII: fulmentas aeneis atque aeneis subducere'. Probabilem sententiam et versum redipisceris scribendo:

fulmentas signis aereis subducere.

Non. p. 472, 10 'partiret pro partiretur. Lucilius lib. XXVIII: quid quas partiret ipse pro doctrina boni?' Sed in Bambergensi et Leidensi 2 non *pro*, sed *per* scriptum est, ut coniciam:

quid? quas partiret spéres doctriná boni (sive bonis)

Non. p. 339, 14 'longe etiam valde . . . Lucilius lib. XXVIII: cui ubi deriminutia meae epitegma apepelli longe opera ante alia omnia.' Omissum *ubi* in B et Gen., correctum in eisdem *inuita*; tum *epitagma* Gen. (*epiteugma* invenit Iunius), *apelli* B. Gratum se profitetur auctori cuidam:

eui débuerim in vitá meae  
epiteúigma opellae lóngē opera ante alia ómnia.

In eis quae spondet amicus p. 315, 29  
habeásque animo mi ámodum causám gravem  
fore, quaé me ab ullo cōmodo abducát tuo  
quis non videt sermonem pariter ac versum flagitare in animo:  
fixum scil. in animo ut in memoria teneri recte dicitur.

Non. 36, 9 'coniungere, copulare; dictum est a iugo. Lucilius lib. XXIX: quam mihi quantum est inter humanum genus rerumque inter se coniungat communicat.' Amoris vis virtusque laudari videtur:

quoniam ille quantumst in terra humanum genus  
deorumque inter se cóniugat comunicat.

Non. p. 239, 15 'argutum, audax, malitiosum. Lucilius lib. XXVIII (XXVIII Mercerus): agite agite fures mendaci *argutamini?*' Adiectivo, non verbo opus esse lemma docet:

agite ágite fures, méndaci *arguti nimis!*

Non. p. 358, 25 'offendere est percutere . . . Lucilius lib. XXVIII: crus lapide *nihil est credam si te offenderit.*' Olim inventum *caedam*, sed nihili est istud *nihil est*. Quoniam Eunuchum Terentii in hac satira tractari et Gnathonis personam induci constat, quid potest veri similius excogitari quam Thrasonem vel ab hoc vel a servo ante proelium, quod in comoedia IV 7 parat, sic appellari:

*crus lápide, miles, caédam, si te offénderit.*

Thraso ipse dubium vix est quin haec dicat: 'vecte átque ancipiti férrō effringam cárddines' (Non. 245, 19), inter duos autem distribuenda illa: 'caede óstium, Gnato! — úrguent, instant, peri-mus.' (Non. 272, 12. 418, 1.) nam imperat miles, pavescunt oppugnati. Exitum proelii Thrasoni nuntiat parasitus:

Gnató, quid actumst? — dépilati omnés sumus.

(Non 36, 26)

Non *integra*, sed *facilis ad supplendum sententia* p. 436, 31 traditur:

cúpiditas ex hómine cupido, ex stúlto numquam tollitur stultitia scilicet; quo argumento sane uti potuit Lucilius, ut veniam a petulanti adversario per alium petitam denegaret. nam eius, qui pro altero intercedat, haec sunt:

déierat *nimiúm* se scripse et póst non scripturám: redi  
in consortiōnem.

(Non. 196, 11: *nimum* Studemundo debetur, *enim libri*).

Non. 399, 13 'subdere, supputare . . . Lucilius satyrarum lib. XXVIII: eodem uno hi (*hic Leid. 1 Gen.*) modo *errationes* (*rationes lib. vet. Dousae*) *subduceret* (*subducet liber Dousae*) suas.' Proxima ab his vestigiis vide an haec sint:

eódem uno hi modo ét *rationes aérís subducént* suas.

Alii invenerunt *subducent*; in medio versu nuper *aeris iam rationes* possum est.

Fefellisse autem rursus Nonium corrupta codicis scriptura videtur, quod p. 74, 3 haec exhibuit: 'aera, numeri nota. Lucil. lib. XXVIII: *hoc est ratio peruersa aera summa et subducta inprobe*'. Postquam haec Mercerus, est Casaubonus correxerunt, unum restat ut *aeris* scribatur:

*haéc* est ratio pérversa, *aeris súmma est subducta ínprobe.*

Luculentum frequentissimae neglegentiae, qua similes litterae deinceps secutae a librariis omissae sunt, exemplum praebet septenarius p. 171, 3 certissimo supplemento sic redintegrandus:

primum Chrysi cùm negat se gnátam [*Agamemno*] réddere.

Non. p. 330, 23 'interficere, occidere. Lucilius lib. XXVIII: prius non tollas *quam tulli* ánimū ex nomine atque hominem ipsum interficeris. M. Tullius de officiis' e. q. s. Apage *tulli* istud, e sequenti archetypi linea inlatum, nam plane caecutiat qui non agnoscat optimum septenarium:

prfus non tollas ánimū ex homine atque hóminem ipsum interféceris.

Nimirum glossema est *quam* insolentius post comparativum usurpatae *atque* particulae additum. Ceterum plane haec quadrat sententia ad superiorem 'cupiditas ex homine cupidō' e. q. s., ut ab eodem utraque intra breve spatium prolatā esse videatur.

Manifesto glossemate inquinatus Lucilii textus est p. 472, 5 'palpatur. Lucilius lib. XXVIII: hic *me ubi* videt, *subblanditur* palpatur caput scabit.' Exercitas nimirum in hoc numerorum genere aures non fugiet integerrimus versus, qui adsumpto Festi p. 210 testimonio exoritur:

híc *ubi me* vidét, palpatur, cáput scabit, pedés legit.

Interpretamentum *subblanditur* lemmati reddendum est.

Non. p. 527, 25 'vel pro etiam est... Lucilius lib. XXVIII: hoc *inuenisset* unum ad morbum illum homini vel bellissimum.' Sciunt periti quam saepe secunda perfecti persona librariorum culpa in tertiam plusquamperfecti coniunctivi mutata sit: sana omnia, si scribas

hóci *invenisti* únum ad morbum illum hómini vel bellíssimum.

Non. 121, 3 'hilum, breve quoddam. Lucilius lib. XXX: *quod tua* laudes culpes non proficis hilum.' Prae aliis, quae conici possunt, sententiae acumine et acerbitate Luciliana commendari sentio:

*quor tu aliquid* laudes, culpes? non proficis hilum.

Aut *quor*, aut *quom* restituendum p. 35, 23, ubi libri praebent: 'quam me hoc tempore, nugator, cognoscere non uis.'

Non. 284, 23 'differre, dividere vel scindere... Lucilius lib. XXX: et male dicendo *in multis* sermonibus differs.' Placet '*inmodicis* sermonibus.'

Nomius 235, 16 'aptum rursum conexum et colligatum significat.... Lucilius lib. XXX: *unus* consternit *nouis* (*nobis*) Pal-

merius) uetus restibus *aptus*? Certum videtur veterem non hominem qui sternat, sed lectulum qui sternatur dici. Proxime autem a litteris aberunt haec:

*vellus* consternit nobis *vetu'* restibus *aptum*.

Non. 227, 16 'delica est aperi et explana . . . Lucilius lib. XXX: nemo istum uentrem pertundet *delicietque uti via* atque uidebis?' Vedit Mercerus pertinere hoc exemplum ad lemma quod legitur paulo supra 'delicere est illicere.' Nam parasito nescio cui vel lurconi deliciae ciborum negantur, quales latent in sequentibus litteris *utuia*, quas interpretor *altilia*, (ut in libro XXVIII: 'piscium magnam atque altilium vim interfecisti', et alio loco 'illum sumina ducebant atque altilium lanx') et cum *videbis*, nisi forte corruptum est, ad exitum versus quadret, media quaedam post *atque* intercidisse statuendum est.

Non. 118, 1 'gemiae (gumiae Scaliger), gulosi. Lucilius libro XXX: illo quid fiat Lamia et *Pitto ixiodontes* (*Pytho oxyodontes* Scaliger) quod ueuunt *gemiae illae* (*illiae* Leid. 1 *illi* Wolf.) *uetulae* improbae ineptae? Leniter corruptum est illud *illiae* ex hot *illiae*, ut in alio huius libri exemplo p. 125, 32 *inlues* Leid. 1 habet scriptura doctis notissima. Integra autem sententia haec fuit:

illo quid fiat, Lamia et *Pytho oxyodontes*

*quom* veniunt, *gomiae ingluiae* *vetulae* *inprobae* *ineptae*?

Non. p. 327, 11 'improbum, saeuum . . . et Lucilius lib. XXX: improbior multo, quam de quo diximus ante, Quanto blander *haec*, tanto uementius mordet.' Prae illo *haec* malim est.

Non. 83, 14 'caries est vetustas. Lucilius lib. XXX: *plauda* una est pedibus cariosis *mensulibano*' (*mensuiabino* Harl. m. 1). Primum vocabulum *clauda* correxisse scio Studemundum, in exitu monstrum vide an domuerim coniendo *mensa Libussa*, h. e. citrea.

Schol. ad Persii I 26 'usque adeone scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter' haec adnotavit: 'haec periodos apud Lucilium posita est ut *mecum* (*meum* Lugd. me ed. pr.) *scire uolo dicimus mimi conscius sum* (add. *ut* ed. pr.) *ne damum* (haec om. ed. pr.) *faciam* (*faciat* ed. pr.) *scire hoc si* (*se* Mon. Lugd.) *nesciat me*?' Non ita difficile est ad Persianae sententiae exemplar sua Lucilio restituere, qui haec fere reliquisse videtur:

*mecum scire volo, id sum* (s. *ut sim*) *mimet conscius ipse;*

*nec damnum faciam, scire hoc si nesciat alter.*

Non. 223, 27 'sibilum . . masculino .'. Lucilius: *saxa et stridor ubi atque erunt dum sibilus institis.*' Qui memor erit Pacuviani naufragii v. 335 sq. descripti ('armamentum stridor, flictus navium, Strépitus fremitus, clamor tonitruum et rudentum sibilus'), vix dubitabit, quin haec Lucilio quoque in mente fuerint, cum simili colore procellam marinam descripsit:

*saxeī stridor ubi atque rudentum sibilus infit  
in quibus extreūm infit* Lipsius proposuit, *saxi stridorem intellego undarum rupem plangentium clangorem.*

Graeca nomina supellectili domesticae inani elegantiae studio inposita risit in primo libro poeta:

arutaenae *nunc quidem aquales*  
(Charisius p. 95 P. ubi codex haec habet: 'nam Lucilius libro I saturarum *arut, ineq. inquit aquales*').

porro clinopodas lichnosque ut dicimus σεμυρῶς!  
ante pedes lecti atque lucernas.  
(Macrobius Sat. VI 4, 18: *dicimus* Salib., *diximus* ceteri; mutavi interpunctionem).

Incredibile posuit lemma Nonius p. 129, 27 '*inpuno* quod est *inpudens*. Lucilius lib. II: *homo inpuratus et inpuno est rapister.*' Quid? si glossatorem hic quoque in fraudem induxit lenis corruptela codicis *inpuus*, Lucilio autem haec reddenda sunt:

— homo inpuratus et *inprobus iste rapister*  
Inpurati nomen iniuria librarii p. 291, 31 obliteratum esse ('*inpuratum* hunc in fauces invasse animamque Elisisse illi,' ubi *inuriatum extat*) olim intellexit Mercerus, cuius sanum iudicium sequi debemus, non oblivione obruere.

Male dicit Nomentano:  
qui te, Nomentane malum, *mala* cercera perdat!  
Inserui *mala*, ubi Donati ad Ter. Phorm. I 2, 73 exemplaria *ad tradunt.*

Quantum reipublicae vulnus ducum inertia inflixerit significat exclamando:

Hostiliu' contra  
pestem permitiemque catax quam et Maniu' *movit!*  
(Non. 25, 20: *nobis* libri. 218, 32 *nouius*: plerique *nouus* Leid. 1).

Nonius p. 102, 9 'excantare significat excludere. . . Lucilius satyrarum lib. II: *quae ego nunc Aemilio praecanto atque exigo et excanto.*' Bella sententia sat lenibus remediis elicitor haec:

*quaero ego nunc ex Aemilio, precibusque precando  
exigo et excanto,*

h. e. carmine exorare eum studeo.

Non. p. 268, 5 'coicere, furari auferre . . Lucilius lib. II : quid dicas? cur est *factum quod* coicis istuc?' Scilicet de furti notione disputatur :

quid dicas? cur est *furtum, quom* coicis istuc?

Perversos quosdam homines notat, qui nesciant quo ad quamque rem instrumento opus sit :

scindunt hi ligna *bidente*  
nam hoc inest in Neapolitani Charisii p. 55 scriptura *uidete*.

In itineris narratione festiva, quae tertii libri nobilissima ecloga fuit, locum haec habuere :

*maxillas tum tollim' nos atque utimur rictu*  
(correxi quod apud Nonium p. 456, 4 extat: *malas tollimus*).

Nonius p. 208, 17 'grus genere feminino . . Lucilius lib. IIII : longior hic quam grus *grue tota* cum volat olim.' Non vereor ne audacior prudentibus videar emendans *super aethera*, pulchra imagine ut longe iam abesse significetur quisquis effugerit e manibus.

In suavissima libri V epistula, quam corpore aeger, sed animo constanti ac fideli scripsit (noli enim corrumpere sanissima illa

si tam corpu' loco validum ac regione *maneret*,  
scriptoris quam vera *manet* sententia cordi)  
amico grates sic dicit:

*fons tu solu' mihi in magno maerore metuque,  
tristitia in summa, crepera re, inventu' salutis.*  
Initio libri habent *sannunt solis*, in quibus *solus* iam Mercerus agnovit.

Rusticam cenam deridens Lucilius in eodem libro inter multas alias herbas intubum quoque commemoravit versu, quem Charisium certe p. 77 P. talem accepisse persuasum habeo :

intibu' praeterea pedibus *praecerptus* equinus  
nam codex vetus Dousae *perserpit*, Neapolitanus *perserpit* praebet; variam lectionem apud Nonium p. 209, 2 agnosco, ubi *praetensus* non dubito quin verum, viderit qui *praetonus* corrigeret.

Neque adulterum neque murem per rimarum commissuras minutim transeuntem finxisse Lucilium credo, sed a curioso rerum scrutatore haec fere quaeri voluisse :

*dic mihi, quae lucem cogat vis ire minutum  
per commissuras rimarum nocti nigrore.*

Mutilata sic apud Nonium p. 515, 3 sunt: *dic quam cogat.*

Non mutila, sed turbata esse puto quae idem p. 281, 24 attulit sic mea conjectura ordinanda:

*'o dominum fortem! qui te bonu' Iuppiter' inquit  
Crasso Muciū', cum cenabat.*

In libris illa *dominum fortem* omissa *o extrema* sunt.

Pravas foedasque artes, quibus delicias futilles et in honestas corpori addere studebant, diserte in septimo libro castigavit poeta genuinas naturae dotes commendans. Tale quid in frusto illo inesse videtur quod apud Gellium IX 14, 21 librarii sic corruerunt: *'primum facie quod honestae tantis accedit'. Scripserat fortasse Lucilius:*

*primum facie quid honestae  
lautius accedit?*

Cum amica convivium et mox concubitum in octavo libro solita εὐθυρημοσύνῃ usus sic descriptis:

cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis  
*ficta rigens* compono, hoc est cum ψωλοκοποῦμαι.

Librorum monstrum *fictrices* quod ex parte saltem domuit Lachmannus, cum ad Lucr. p. 194 *ficta eius* proposuerit, laude sua fraudandus non est. Quae restant litterae *rices* facile vides quam bene quadrent ad meum *rigens* Graeca quae sequitur interpretatione plane flagitatum.

Non magis quam supra de 'inpuno' glossa fidem habeo Nonio testanti p. 84, 10 *colustra* vocabulo Lucilium usum esse in his: *Hiberam insulam fomento omnicolore colustra.* Nec magni Apollinis nec Oedipi laudem venor equidem, neque in tanta indiciorum penuria confidentius quidquam adfirmare decet; sed sententiam versumque sat probabilem, ni fallor, hunc habeto:

insulam Hiberam lomento omnicolore *colustrat*  
mensura verbi *colustrat* eadem, qua in nono libro *ore corrupto*  
dempta scil. una littera per métaplasmum poetam nostrum compo-  
suisse Consentius p. 400 K. testatur. Tangitur autem, ni fallor,  
pictor nescio quis, qui simulacrum Iberiae fortasse in Scipionis de  
Numantinis triumphum a. 622 actum nimia colorum varietate  
corruerat.

Geminationem vocalium longarum ab Accio institutam repudians Lucilius in nono libro sic fere scripserit necesse est:

*AA geminum longa, A brevis syllaba.* nos tamen unum  
hoc faciemus et uno eodemque ut *dicimus* pacto  
scribemus pacem placide Ianum aridum acetum e. q. s.

Traditum in codice Terentii Scauri p. 2255 esse fertur: *a primum longa brevis syllaba*, in quibus *primum* illud librarii neglegentia e superiore versiculo ‘*a primum*st, hinc incipiā’ e. q. s. repetitum esse conicio; servavi *dicimus*, quoniam, licet non eodem pacto et longa et brevis *A* pronuntietur, (ut monuit Ritschelius monum. epigr. tria p. 31) tamen et haec et illa pariter simplex, non gemina effertur.

Multam differentiam esse statuit ille, *abbitere* an *adbitere* scribatur, his puto verbis:

[contra] *abbitere*: multum est inter d siet an b.

*Extat est* apud Velium Longum p. 2224, praemissumque olim fortasse *inter* antecedenti *multum* vocabulo hauriri potuit.

Plurima, ubi vel tuenda librorum auctoritas vel sermoni sententiaeve facile remedium adhibendum est, vel quae pridem alii recte invenerunt immerito nuper aut spreta aut silentio sepulta sunt, item orthographica et grammatica nunc praetereo. Inter quae sunt sane quae mireris quod obviam medelam nondum experta sunt: e. c. in decimo libro, ubi monuit poeta firmis retinaculis navem in litore religandam esse, ne venti et fluctus illa diripiant et rescindant, hac usus est exceptione:

tonsillas quoque praevalidis *ni* funibus aptas  
(in libris Nonii p. 235, 3 in legi testantur). Simili modo apud eundem p. 423, 1 ductus hos: ‘*eti (etit* Leid. 1) quos divitiae producunt et caput ungunt horridulum’ interpretor:

*em* quos divitiae producunt, *ut* caput ungunt  
horridulum!

in quibus *ut* ei debetur, qui nuperrime haec frusta edidit.

Perdidit lepidam amphiboliā, qua fenerator aliquis appellatur *sacer ille τοκογλύφος ac syrofenix* (i. e. qui fenus corradit), Turnebus, qui optimorum Nonii p. 397, 27 librorum scripturam *sirofenix* mutavit in *Syrophoenix*.

Ex lege duodecim tabularum verba in XVII libro adhibuit Lucilius talia, nisi fallit coniectura:

si non it, capito, inquit, eum, et si calvitur, *endo*  
*funde manum*.

Tradiderunt apud Nonium p. 2, 1 librarii *ergo fur dominum*, Carrio *endo fertu manum*, Dousa *endo manum iacito* coniecit. Nes-

cimus in quales fures legem illam valere voluerit, verum publicos aerarii et provinciarum spoliatores intellego, quos defendi vel ornari carminibus vetat:

semassis *faxis* Musas, si vendi' Lavernae  
(*facis* in libris Nonii p. 134, 34 extat; *semassis* vocabulo, quod Dousa pater e codicu scriptura *simesses* elicit, fortasse *haud* vel alia negatio praecessit.)

Finem his schedulis faciam ariolatione quadam, in quam memoriae species fallax illa fortasse, sed blanda inlicuit. Neque enim magis quam alii dicere possum, quis Lucius ille Trebellius fuerit, de quo apud Nonium p. 2, 30 monstrosa haec e libro XV sumpta leguntur: *in numero quorum nunc primus (primum Bamb.) Trebellius multos Titos Lucios narcesibai (narcessibai Leidd. Bamb.) febris senium uomitum plus.* Sed postquam *pus* olim, prioris autem versiculi exitus alteriusque initium egregie a Lachmanno restitutum est *multost Lucius*, sequentes litterae mihi manifesto prodere videntur *Arcesilai* nomen, quod si verum est, hoc versuum par evadit:

in numero quorum nunc primu' Trebelliu' multost  
Lucius, *Arcesilai* (s. *Arcesilae*) febris senium *vomitus* pus.  
Arcesilas si philosophus nobilis intellegitur, cuius persona etiam Timon in sillis (Laert. Diog. IV 33) usus est, Trebellius quamvis multo posterior aetate quasi praestantissimum eius hominum generis exemplar a Lucilio notari potuit, quod acerrimus ille et dicasissimus scepticus maxime aversaretur exagitaretque, eorum scilicet, qui levitate et iactantia ingenii vanam rerum quarumvis scientiam confidentius prae se ferunt solique sapere sibi videntur.

Scr. Heidelbergae mense Aprili a. 1873.